

B. 532, 2

B. M. II, 6

II d
324

TRIAS DISSERTATIONUM,

CONTINENS

I. RESPONSIONEM MODESTAM, AD IMPUDENTEM LIBELLUM J. C. WACKII, THEOL. PROFESSORIS RATISBONENSIS.

II. BREVEM LINGUÆ GERMANICÆ APOLOGIAM, PETRI BURMANNI PROF. LUGDUN. BAT. DURO DE EA JUDICIO OPPOSITAM.

III. CONSILIUM DE CONSTITUENDA SOCIETATE, QUÆ BARBARIEM IN LINGUA VERNACULA NOSTRA IN DIES CRESCENTEM COERCERE STUDEAT,

AUCTORE

JOHANNE AUGUSTINO EGENOLF.

LIPSIÆ,

Impensis JOH. FRID. BRAUNII,

STANNO BAUCHIANO. 1717.



TRIAS
DISSERTATIONUM

CONTINENS

I. RESPONSIONEM MODOSTAM AD IM-
PUSUM LIBELLUM J. WACKERLII
THEOL. PROFESSORIS RATIONUM

II. BREVIUM LINGUAE GERMANICAE
ABOLITAM REFORMAM IN PROLOGUM
TALISQUE DE EA IUDICIO OPTIMUM

III. CONSILIUM DE CONSTITUENDA
SOCIETATE QUIA BARBARISMUM IN LINGUA
VULGARI MORTALI IN HIS ORIENTIBUS
CORRIGERE STRUAT

AUCTORE

JOHANNES ALEXANDER BERNHARDT

ALBIS

LIBRARIUS

STAND. BACHMANN. STR.





I. N. I.

RESPONSIO AD J. C. WACKIUM.

§. I.



Ritos illos in memoriam revocans versiculos
Δουὴν λεγόντων, Πατέρες θυμημένε,
Ὅ μὴ ἀντιθέων τοῖς λόγοις, σοφώτερος
diu multumque fui dubius, an responsionis ali-
quid contra J. C. Wackium adornem nec ne? Etenim
uti mihi nihil acceptus, quam quando se offerunt,
qui mecum modeste in veritatem inquirunt,
licet ab initio contrariis ducamur opinionibus;
ita nihil intolerabilius, quam illi, qui φιλοεικίας & φιλαυτίας
percuti, ferram contentionis reciprocant; & quamvis
nil minus capiant, quam alter alterius mentem:
tamen invicem se mutuis commaculant convitiis,
existimantes, sic optime rem gestam, si alter in
alterum vehementissime invehctus sit, insuper
ceteroquin habita veritate. Pauca præterea &
obtusa tela, quæ me in adversarii scripto feriunt,
propemodum mihi silentium svasissent, ni
timuisssem, fore, qui ex meo silentio conjicerent,
me modestiæ limites omnino transfuissse, ut
mordaces Antagonistæ inculpationes volunt,
& aliorum labores ex mero sugillandi studio
carpsisse. Autumare porro nonnulli possent,
Wackium in omnibus rem acutegissse, mihi vero
ipsum ita os obtudissse, ut, quod referam, plane
non habeam. Incerto itaque offerre se mihi
visus est facer & sapientissimus morum ille
doctor, aurem quasi mihi vellicans, leniterque
me objurgans, qui essem immemor saluberrimi
sui illius moniti, quo docet: non respondendum
esse aliquando, & tamen respondendum esse.
Quæ duæ contradictoriæ sententiæ quomodo
conciliari queant, dum non intellexi, forte
fortuna in Claji expositionem partis illius
invidiæ, qua Christus nihil respondissse
Pilato dicitur, quam evolvere potest Wackius.

A 2

exper-

experturus, an possim non respondere, & tamen respondere. Absit igitur, ut convitiis convitia opponam. Prudentis est ferre, quæ ab aliis imprudenter fuere evomita; vetularum vero, calumniis pugnare contra calumnias. Amice admonere vellem & rogare adversarium, ne inique verba mea interpretetur, quæ neutiquam fuere inique prolata, neque offendendi animum putet, ubi nullus mecum fuit; nisi nimii ipsius affectus me omni spe conciliationis, inter nos futuræ, privarent, nisi que scribendi fine & principiis, quod suo loco demonstrabitur, toto cælo differremus. Etenim si in ulla, sane hac scientia, cui uterque est nostrum deditus, mundus regitur opinionibus. Qui ex sua opinione putat, se omne tulisse punctum, ille ex orbis eruditioris iudicio, aut tulit minimum, aut nullum. Et, si quædam erui potest in his obscuris rebus veritas, collatione sententiarum potest maxime. Ego vero nulla re magis adversarii contra me irritavi animum, & jocularium in malum insciens incidi, quam quod meas qualescunque lucubrations, quas turpissimas nugas vocat, cum ipsius labore conferre conatus sim. Legat B. Lector locum in meo scripto, quo in tantum offensum se esse publice prodit Wackius, & judicet: an ipsius famam minus decenter aut calumniose attriverim, licet opinionem ipsius neutiquam mihi probabilem videri palam testatus sim. Sed ad rem progredior, brevibus, quæ causa sit vehementiæ, qua agitur, expositurus.

§ II. Cum anno præterito libellum publicarem de historia Linguae Germanicæ, collaudavi, ab initio opusculi, operam circa hoc studium quorundam doctorum in Belgio, Anglia, Svecia, aliisque locis, & nonnulla de Germanorum circa idem studium incuria addidi. Ut ne vero meos in cives injurius viderer, adduxi aliquos, qui curam & operam suam in hoc scientiæ excolendæ genere adhibuerunt. In illis nonnulla laudavi, nonnulla vero etiam notavi, quemadmodum fere coguntur facere, argumentum qui tractant Criticum, & aliorum exponunt sententias. Post alios etiam mentionem feci libri J. C. Wackii, de lingua Germanica, cujus auctorem in quibusdam rebus cum Goropio Becano Antvverpiensi contuli. De hoc jam ante monueram, ipsum in vario eruditionis genere versatissimum fuisse, ideo vero reprehendendum, quod quandoque in derivationibus & etymologiis suo ingenio nimis indulgeat. Derivationes Becanianis similes in dicto scripto Wackiano reperiri addidi, remque probaturus unum alterumve exemplum ex adversarii libro adduxi, ita tandem concludens: quia perivalium mihi

mihī est, auctorem hęc non nisi exercitii gratia protulisse, neque his somniis, (in lingua patria adhibueram vocabulum *Grillen*.) immorabor Hęc sola vox ita viri animum irritavit, ut parum ablit, quin furca & patibulo me dignum prædicet. Si quis a Christianismo ad Ethnicismum defecisset, aut Invictissimi nostri Cæsaris intima consilia Turcis prodidisset, vix possit gravioribus proscindi convitiis, quam illa sunt, quibus me confectatus est in schediasmate, cui Titulus: Johan. Conrad Wack an seinen angemasten Cenforem Joh. Aug. Egenolff Regensb. d. 20. May 1716. Ipse tamen libellus non citius quam circa præteriti anni finem ad oculos meos pervenit.

§. III. Pone vero, me de Wackio ejusque scriptis præpostere judicasse, certe non virum prudentem aut Philosophum, minus Christianum, minime vero Theologiæ Professorem decuisset, tantas eructare in adversarium, de cujus mente aut scopo non satis constat, injurias, quantis ille me proscindit. Modo enim me stultum, rusticum, idiotam, famæ furem, mendacem, & quid non? appellat; modo me in Grammaticalibus tam imperitum esse contendit, ut pueri, duas septimanas ipsius usi doctrina, mihi longe præferendi sint. In Orientalibus linguis me ita credit peregrinum, ut ipse opus habeat, voces Hebraicas, quas legi a me posse vellet, literis Latinis pingere. Mores, pergit, meos plane inurbanos satis testari, me nullum nosse Ethices principium, meque lædendo illum, omnes læsisse, quos quondam præceptores audiverit. Libelli mei titulum, dedicationem, & illud ridet, quod non majora lumina adduxerim, de his agens, qui linguam patriam suis meditationibus excolere quæsierint. Sed qua par est, quaque fieri potest, modestia, ad ejus invectiones quasdam & objectiones potiores, præterminis dubiis levioribus, scommatibus & calumniis, respondebo, eodem servato ordine, quo in hoc & antecedente §. earundem mentionem feci.

§. IV. In eo igitur differimus, quod ad scribendi finem pertinet. Ille se plus invenisse putat, quam pueri in faba, dum probat: Etyma vocabulorum, ut cæterorum Europæorum, sic præcipue Germanorum, ex Oriente petenda esse. Hi sunt ipsius termini & limites; hoc si impetrat, nihil amplius requirit. Mihi vero videtur studium Criticum inter reliqua omnia sterilissimum atque miserrimum, si in nuda Etymorum consideratione, aut locorum, qui in Auctoribus corrupti videntur emendatione, & quæ plura sunt hujus generis, consistat. Profecto quicquid hæctenus de Lingua Ger-

mani-

manica scripsi, & quicquid in posteram de eadem, Deo adjuvante, scripturus sum, ad ejusdem culturam spectat. Eo scilicet, pudet dicere, res apud nos Germanos devenit, ut crediderim, mox futuros, qui statuerent præsumant, majores nostros ante Caroli Magni tempora sermone & loquendi facultate destitutos fuisse, cum eo quorundam ex nostris quoque Germanis progressa jam sit temeritas, ut legere & scribere Germanos potuisse, ante dictum imperatorem contra omnem fidem historicam, solius Taciti, male intellectis verbis, inducti, negare non erubuerint. Inde hæc mea cura est meumque studium, ut viros patriam amantes, qualicumque meo labore meisque admonitionibus excitem, quo se crescenti in dies in lingua Germanica barbariei opponant, neque patiantur, majesticam nostram linguam ita repleti peregrinis & barbaris vocibus, ut timendum sit, brevi proventurum novum idioma ex lingua Germanica, quod linguarum omnium Europæarum deformis abortus dici mereatur.

§. V. Neque minus differimus circa principia. Primaria ipsius thesauri hæc est: Linguam Hebraicam esse omnium antiquissimam, & matrem reliquarum. Hinc profluunt ejus consecraria: Significationes primarias & varias linguarum, ut aliarum, sic præcipue Germanicæ, & lingua Hebraica eique affinibus petendas esse, & quo magis accedat phraseologia quædam Germanica ad genium linguarum Orientalium, eo magis eam esse Germanam. Hisce si ex principiis aliqua promanat utilitas, hæc forte sola est, quam habuisse animadverto illorum quosdam, qui Harmonias linguarum scripserunt, nempe ut eorum consulant memoriæ, linguas qui addiscere volunt orientales. Primam & fundamentalem quasi ipsius thesin, quod scilicet lingua Hebraica prima sit omnium, nunquam ego negavi; sed consecrarium ipsius ideo locum non habere potest, quod vel ante trecentos annos vocabula Germanica plane aliam habuerunt faciem, quam nunc habent; Quis igitur perferretari potest, quæ fuerit species singulorum, ante duo annorum millia? Si vocabula quædam Germanica descendunt ab Orientalibus, sunt ea antiquissima Germanica, quæ hodie, si quædam supersunt, neque a vulgo neque a multis eruditis intelliguntur, siquidem ab hodiernis, ut cælum a terra, differunt. Quicumque igitur recentiora, excultissima, eoque ipso a vetustissimis vocibus longe remotissima, illisque planè dissimilia vocabula cum Hebraicis comparant, & quandam inter hanc & illam linguam demonstrant similitudinem, eo evicturi, quod nostræ

stræ voces ab Hebraicis descendant, eos a veritate aberrare plurimum, qui libet intelligit. Juvabit hoc loco inferere par exemplorum antiqui idiomatis Germanici. Prius, quod est annorum 840, continet juramentum, quod Carolus Calvus fratri suo Ludovico Germ. præstitit, referente Goldasto & Vulcanio. Ita vero se habet: *In Godes minna, ind durch tes Christianes folches in unser bedbero gehaltnisi fon tesseme dage fram morders, so fram so mir Got gewizer in die mabd furgibit, so bald ich tesom minan bruodher so so man mit rehtu sinan bruoder scal inthiuthaz er mig so so maduo indi mit Lutherem nino theinni thing ne gegango, zhe minam willoe imo oe scadben wercken.* Aliud addimus ex Otfridi, Monachi Weisenburgensis, qui floruit eodem tempore, L. sc. II. Evangeliorum,

Vu izit, quad er, thefa dat,
 Thatz siin zuch gigat.
 Thatz ir in sit zi fravili,
 Thatz zeigot zu this bilidi,
 Ir heitzet allas thas jar
 Mih deuhtin inti Meistar.
 Retho sprechet ir thar :
 Ich bin ouh so, thas ist vvar.
 Nu ih fulih thaltu
 Vundar thie th ih vvalt,
 Mit su slicheru redinu
 Then minen nich sus nideru :
 Vuio harto mer zinnit zu,
 Ir ginozen Eirut untar zu,
 Thatz ein andre mo,
 Fuazi nuafge gerno :
 Ich nutro zu mit guati
 Irbotit otmuati
 Mit einhilen minnon
 Iz fremmort zeigot mannon.

§. VI. Sed pone, vocabula quædam occurrere plane eadem in Orientalibus linguis & Europæis, & quæ manifesto ex una in alteram translata sint, æquis judex definit; ultra sint antiquiora & recentiora? Dabit adversarius exempla, quæ credit ex Oriente ad nos allata; ego dabo e contra-

trario, quæ ex Europæis linguis in orientales translata esse certum est. Phœnices cum omnibus Europæis fere commercia habuisse, Bochartus docuit; Qui quidem, si suarum vocum quasdam in peregrinas intulere provincias, quis dubitaret, illos ex iisdem quoque nonnullas, quod hodiernum facere videmus mercatores, in suam retulisse patriam? Plane necum hac in re sentit THOM. REINESIUS in Histor. lingu. Pun. c. 5. §. 1. *At, ait, fieri non potuit, quin perinde ut alie lingue, & ipsa hæc Phœnicia temporis decursu injuriaque, & quod apud varias gentes negotiarentur Pœni, & quod advenæ essent inter indigenas Afros, aliquid alieni contraberet, ac paulatim e fonte suo degeneraret.* Quod quidem judicium de cæteris quoque Orientalibus linguis valere existimo. Juvabit, quod asserui, de translatis Europæorum in Orientem vocibus exemplis paucis illustrare. Talia sunt in N. T. Syriac.

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Act. 21. v. 34. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Ep. Jud. v. 3. & Matth.

18. v. 7. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Rom. 3. v. 13. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Act. 21. v. 31.

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Matth. 27. v. 19. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Matth. 26. v. 28.

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Matth. 27. v. 19. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Act. 18. v. 15.

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Act. 3. v. 2. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Luc. 22. v. 52. &c. In ver-

sione V. T. Syriaca non pauciora occurrunt, v. g. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ

2. Paral. 6. v. 14. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ, Exod. 32. v. 4. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ,

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Sap. 16. v. 12. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Exod. 12. v. 14. Neque

Latina quædam defunt, ut ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Matth. 8. v. 5. ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Joh. 20. v. 7.

ܐܘܠܘܬܐ ܐܘܠܘܬܐ Joh. 18. v. 28. quæ nihil sunt aliud, quam *centurio, sudarium, præto-*

rium &c. Multo plura inveniet, qui plus temporis hiscæ studiis potest impen-

dere. Largior equidem, hæc in linguam Syriacam translata illo tempore, quo

Reges Græci habuere in Syros imperium; sed quid vetat dicere: Syros & Phœ-

nices ante hæc tempora eadem facilitate peregrinas voces in suam linguam

recepisse? Nimium forsitan viderer mihi sumere, si assererem: Syros ab

Europæis suas accepisse vocales; alius igitur verba adducam, in Orientali-

bus veratissimi, nimirum JOH. LEUSDENII. Ita ille Lib. I. Schol. Syri-

ac. p. m. 9. loquitur: *Syri tantum quinque vocales habent, Latinorum*

a, e, i, o, u, respondentem: Sed duplex earum est figura, antiquior scilicet, quæ

a Græcis per aliquam inversionem mutuata est. &c.

§. VII. De lingua Syriaca progredimur ad *Chaldaicam*. In qua quidem vel leviter versatus novit occurrere voces aequae Græcæ quam Latinas, quales sunt in Targ. Hierosol. אוכלוס *ὄχλος*, מננקי *ἀνάγκη*, הרוט *ῥοτός*, דיאָטש *ἐπίτροπος*, מרכון *ἄρχων*, אוקענוס *ὠκεανός*, אסטרטוי *στρατήγος*, פילגוס *πέλαγος*, קנטר *centenarius* (pondo) I Paral. 19. v. 6. לגיונין *legiones* &c.

§. VIII. *Arabicam* linguam Europæis repletam esse vocabulis, jam olim observarunt eruditi. Inter alios SALMASIUS in Exerc. Plin. p. 795. ita differit: *Pauca admodum sunt herbarum, arborum, gemmarum, siderum Arabica, quæ non ex Græco detorta sint.* Si locus & tempus ferret, non modo exemplis demonstrare possemus: Salmasium æquo plus non dixisse, sed & vocabula nonnulla Arabas a Græcis ita mutuatos esse & accepisse, ut in iis Græca terminatio remanserit, quæ cum plane contraria sit genio linguæ Arabicæ, satis docet, a Græcis ad Arabas, non ab his ad illos tales voces translatas esse. Taceo compositionem Græcam, quæ manifesto reperitur in nonnullis vocibus Arabicis. Et quidni accepisse putemus multa a Græcis vocabula, qui eorundem mythologiam & philosophiam avide didicerunt, in suam linguam transtulere, alios populos eam docuerunt, eandemque hodiernam in honore habent? Taceo etiam, pleraque vocabula Græca, quæ ad hæcenus dicta probanda, in medium proferuntur, esse simul Germanica. Si eandem derivandi mihi sumerem licentiam ac adversarius, multas voces Arabicas a Teutonicis ortas videri, demonstrare possem. Notum est, quod PAT vel PATA Scytis significaverit *feri, interficere*, quodque hac voce in præliis ad fortitudinem se invicem excitaverint. Juvabit hoc loco inferere, quæ differit hoc de vocabulo Vir Summe Rev. Dn. D. V. E. LOESCHERUS in suo LITTERATORE CELTA, Msto longe doctissimo, cui, quia gravissimis suis & infinitis impeditis negotiis, manum hæcenus ultimam addere non potuit, pro sua in me benevolentia illud amice mecum communicare nullus dubitavit. Ita vero in Indice Goth. ad vocem BAT loquitur; „BAT, a brevi, apud Celtas antiquissimos notavit percutere, verberare; „apud Herodotum AMAZON vocatur Acrobata h. e. viricida, quia Amazones mares verberibus interficiebant. Hinc & vox Latina BATUERE, & Gallica BATTRE, & frequentativum Germ. BATSCHEN, offit schlagen &c. Nihil forte absconi statuerem, si assererem, quod a dicta hac voce PAT vel BAT ortum sit Arabicum **بَات** mortuus est. Quid si innixus regula,

quam alibi probavi, quod prolixiores voces a brevioribus derivandæ sint, dicerem: ipsam Arabum denominationem Chaldaicam, Syriacam, Persicam, quin & ipsum vocabulum 𐤀𐤓𐤃 esse a voce Germana RAFF, vel RAP, i. e. *rave*, ἀραγε, unde & Hungarorum RAB i. e. *captivus*, Germ. RAUB, Lat. RAPIDUS: *Rapidus manus* tribuit illi Virgilius, de quo valet proverbium Germanicum: *Er hat ein gut Gedächtniß, was seine Augen sehen, behalten seine Hand so*.

§. IX. De veteri Persica lingua ejusque cum Germana convenientia, multa eruditi memorie prodiderunt, nobis vero alius dabitur de hac re prolixius differendi locus. Jam audire juvabit nonnullas de ea doctorum sententias. Ita sane SALMASIUS Exerc. Pl. p. 795. C. 2. *Vocer*, ait, quibus hodie Persæ matrem, fratrem & sororem appellant, Germanicæ dialecto communes esse miratur Scaliger, ego non miror. Idem in Præf. ad Tabuke Cebetis Arabicam versionem ita loquitur: *Eliehmannus, qui versionem Arabicam in Latinam linguam transtulit, docuit, quod ad hoc, avi plerosque laudat Eruditorum, ex eadem origine fluxisse, Germanicam & Persicam linguam, ad hanc conjecturam ducente illum infinita vocum copia communium, sed & verbis similiter terminatis eodem modo compositis, aliisque multis argumentis.* Idem sentit Commentatione Hellenistica priori p. m. 10. *Persica, inquit, lingua seu Parthica, habet originis auctores Scytas: infinitas præfert voces, que eadem reperiuntur in Græca pariter dialecto & Thracica &c.* Conf. LIPS. Cent. 3. ad Belg. Ep. 44. BOCHARIUS Phal. L. 1. c. 25. OLEARIUS Itin. Pers. L. 1. c. 15. p. m. 61. & L. 4. c. 10. p. m. 224. MORHOFFIUS von der Teutsch. Spr. p. 38. MICHAELIS PICCARTI Oratio, qua probatur, Persas esse Germanorum fratres. PEZERON Antiquité de la nation & de la langue de Celtes p. 320. sq. MAR. ZUER, BOXHORNIIUS in Epist. ad Nicolaum Blankhardum 1647. scripta & Boxhorniana editioni Taciti subnexa; & qui primo loco nominandus erat, VULCANIUS de lingu. & literis Getharum p. 87. sq.

§. X. Quid denique dicam de Turcica, que inter omnes linguas Orientales vocibus Europæis maxime repleta est Ipsa sane denominatio, qua Turcæ nos insigniunt, est Sarmatica, sive etiam, firmalis, Germanica. Vocant nos *Турки немцы* Quis vel mediocriter in Europæis linguis versatus ignorat, hoc esse nomen, quo nos Slavi, Hungari, Illyrii, Dalmatæ, Sorabi, Poloni, Bohemi, Russi aliique appellant? Sunt, qui id dictum pu-
tant

tant a vocibus NEMA, NEMY, NEMOTAU, NEMLUWJCY, NJMA &c quæ Sarmaticis populis secundum diversas dialectos i lem valent, quare Latinorum *mutus*, probantes: quod hæ nationes omnes linguæ Slavonica expertes, qui cum ipsis proinde loqui non potuissent, ab initio ita vocaverint, ut Græci Latinique dixerent cæteras gentes barbaras. Alii deducunt a *Nemetibus*, fortissimis Germanicæ populis, qui Episcopatum Spirensium incoluerunt, & miserunt olim in Galliam colonias referente Plinio. Cæsare, Tacito, Ptolomæo &c Verbum Substantivum Turc *EM* in multis cum Anglorum *JAM* & Germanorum *ich bin* &c. convenit. *SW*, *WAR* ipsis est *aliquis*, & sono & usu convenit cum Germano *Wer*. *DU R* est ipsis *Janua*, conveniens cum Teutonico *Thüre* & Græco *ἄνεμος* *WARDY* urbis illis est *munita* vel *turris*, affine Teutonico *Warte*. Præteritus alia plurima.

§. XI. Satis hæc me demonstrasse arbitror, quantum mea principia finisque in scribendo ab adversarii sine & principiis differant. Ordo requirit, ut nunc etiam dicamus de injuria, qua se esse a nobis affectum existimat. Quod igitur ad Becanum attinet, cum quo Wackium comparaveram, huic illum in eo similem esse animadverto, quod sæpius fere unica litera utriusque sufficit, ad fingendam vocabulorum diversissimarum linguarum cognationem. Tale est, cum Becanus credit TYRRHENOS dici a *durch rennen*; NIMROD quasi *nimmts-brodt*; NOAH, quasi *nothacht*, curans necessitatem; METHUSALA *maacht üfsalig*, Salva te &c. Idem ex denominatione literarum Hebraicarum, quam putat esse mere Cimbricam, efformat ludimoderatoris ejusdam institutionem, qua discipulum suum orare doceat, & quam ita Latine sonare dicit, Hieroglyphic. L. 2. p. 25 *Age, vive, ora, vos, revelator. Dimitte ex alto sublime lumen: festinanter funde ipsum caput. Voluptatis supremum tegmen. Defensor capitis adjuva me. Ne connectas excelsum & veterinum, status Elexicace erige imaginem ad antiquum.* Hanc deinceps plane cabalistiche exponit, Deum invocans, ut suam mentem Spiritu Sancto illuminet, quo tam abscondita mysteria, quæ primus ipse invenerit & observaverit, rite possit interpretari. In Alphabeti vero Cimbrica denominatione omnem divinam & humanam latere scientiam existimat. Sed hæc omnia proficiuntur e præjudicio Becani, quod omnia vocabula omnium linguarum e Belgica vel Cimbrica lingua sunt deducenda,

cui ita inheret, ut scpe h̄storiam, ipsamque sanam rationem, suis opinionibus reclamantem non audiat

§. XII Diversissimi sane sunt in eo principia Becani & Wackii, quod hic omnia vocabula ex linguis Orientalibus, precipue vero Hebraica esse derivanda asserat; ille vero idem de Cimbrica affirmet. Sed in libris ingenii, utne majus dicam, fingendi licentia & neglectu historię, quam in maxime conveniunt. E plurimis unicum exemplum e libro Wackiano de lingua Germ. adducam, quo vult probare, ceremonias Ecclesiasticas & earum nomina ex Judaismo petenda esse. Ita vero ipse p. 227. *Ehe ich zum Ende gelange, so erinnere mit aller deren guten Erlaubniß, die das Alte und Neue gegen einander kennen, das schier alle Wörter der ganzen Kirchen-Gezeugs die Ebraische Art zeigen, und wir von den allgemeinen terminis, als Sacrament, Seegen, Pfarr, Pfarrer, Filial, Tochter Zion, Zehen Gebot, Tauff, Passab, Opfer &c. nicht können Rechenschaft geben, wo wir nicht Hülffe aus den Orientalischen wissen. Absonderlich in der Römischen Kirchen, wo zum guten Theil die Levitischen Ceremonien noch behalten worden. Job geschweige; das die Gelehrtesten können versühret und zum Gelächter werden, wenn sie die Redens-Arten, die uns die Juden auf den Ermel gebunden, verächtlich halten, oder nur dem Ohr nach urtheilen, die doch an und vor sich selbst nichts weniger, als die Bedeutung haben, die wir oben hin so glauben.* L. E. (jam sequitur haecenus dictorum probatio. Spectatum admisi risum teneatis amici!) ALTER SCHEISSER wird durchgehends vor ein Schelt-Wort gehalten, und ist doch nichts weniger; Sondern heist von Wort zu Wort: EIN ALTER ALTER, von שישי decrepiti Job. XII, 12 שישי, jesch ichim, decrepiti, das jod, weil es keinen Vocaleum hat, wird weggeworffen, so bleibet no. h̄ über schisch oder scheisch, ein ALTER MANN sic Gallicam Vocem LA DAME deducit ab Hebræo Adam, cum tamen certum sit, illud æque ac Hisp. & Ital. DONNA a DOMINA Latino-rum formatum esse. Scripserunt enim olim Galli, *Domne, Damne*; donec ob Euphoniā & tractu temporis exinde DAME factum sit. Vocem Belgicam BEURS, pro quo ipse scribit POERSE, deducit p. 117. a Syriaco PRUS vel POROS, *forum*. Sed ex historia certum est, vocem *Beurs* esse nomen familiæ nobilis Belgicæ antiquissimæ, & quæ, ut audio, hodiernum floret. Vocatur illa *van Beurs*, quod nobis sonat: *die Herren vom Beutel*. BEURS enim Belgis significat *marcupium*. Cum vero olim mercatores

Brug-

Bruggenses in Palatio, quod non nemo ex dicta familia ortus in hac urbe possidebat, stato tempore convenirent; hoc nomen tranfit primum ad hanc domum, successu vero temporis omnia ædificia publica, in quibus se congregarunt mercatores, hoc nomine venerunt. Vide LANGII Jus Publ. p. 214. Similia somnia habet de voce GUEUX, quod Gallis *mendicum Belgis regii protestantem* denotat. Sed cur ita vocati sint ei, causa hæc est. Cum Rectorix Belgii Margaretha Parmensis, nobiliores e protestantibus videret Bruxellis d. 5. Apr. 1566 ad arcem suam venire, quærebat: quinam isti essent vixi, cui consiliarius quidam, qui vulgo nominatur *le Seigneur de Barlaymont*, respondebat: *que ce n'étoient qu'un tas de gueux*, h. e. manipulum esse mendicorum. Hinc Belgæ regii hodiernum omnes qui non profitentur religionem Romano-Catholicam, promiscue & GUEUX & KETTERS vocant, h. e. *mendicos & hereticos*. Neque minus ipsi protestantes re percepta tribuebant sibi hoc nomen, & eo se a civibus suis Romano-Catholicis distinguebant. Nummum enim eudi curabant, quem tanquam Symbolum distribuiebant inter se: Alterum ejus latus continebat Regis Philippi imaginem, alterum patellam & peram, quales habere solent mendici, hoc lemma te addito: FIDELES A' DIEU ET AU ROY JUSQUES A' LA BE-SACE. Vid. l' Histoire de Pays B. écrite par ordre des Et. Gen. L. 1. p. m. 151. Ad Etymon vocis quod spectat, olim Galli non GUEUX scribere sed *coux*; hoc probante Dictionario Etymol. cujus auctor creditur esse Menagius, à Latino COCUS, vel *coquus*: Cur vero mendici ita sint vocati, exponit liber citatus. Sed audiamus hac de re differentem Wackium, qui pag. 129. ita loquitur: GAISEN, *so wurdendie Niederländer genennet, da sie sich von Spanien getrennet, vom Syrischen גויגus conari, sich unterfangen, erkühnen &c.*

§. XIII. Talia igitur considerans, putabam, ipsum cogitasse sua etyma, vel exercitii gratia, vel ut memoriæ discentium consuleret, vel ut patronis, quibus librum dedicat, se commendaret, simulque contra malevolos se excusans, probaret, parem se esse officio dignumque. Etenim fuerant, qui (quod ipse refert in Præf. L. de L. G.) dixerant: Wackium non sine civitatis detrimento sub-et obreptiæ, quod JCTI ajunt, munus novum, seu Professionem suam obtulisse Theologicam.

§. XIV. Sed ad reliqua progredior. Injuria me affecisse existimat Viros Clarissimos, quibus olim præceptoribus sit usus. Hostanquam ange-

ios tutelares p. 14 adducit, nominatque Da. D. Lœfcherum, Dantziūm, Hil-
lerum, Struviūm, Paforem, Beckmannū &c Hos omnes viros, & defun-
ctorum memoriā ex animo veneror, sed nondum probavit Adversariū, vel
unum ex his omnia sua ipsius approbasse principia. Taceo, quod vivamus
seculo, ubi magis rationibus demonstrativis, quam auctoritate pugnare solea-
mus, & ubi quam maxime valeat notum illud diverbium: *amicus Plato,*
amicus Aristoteles, magis amica veritas. Ut denique, a posse ad esse, non
valet consequentia, neque semper in medio est, ut æger relevetur: ita e do-
ctissimorum præceptorum scholis ineptissimi prodeunt sæpius discipuli.
Propterea quoque me accusat, quod auctores citans, qui de fatis linguæ Teu-
tonicæ scripserunt, non maioris nominis viros, quales ipse nominat, citassem.
Sed, si vehementissimi ipsius affectus passi essent, ut mentem meam satis per-
spexisset, facile intellexisset; me id, quemadmodum toto libro, sic & cap.
1. regisse, ut pateret, quod nihil mihi ego faciam negotii cum illis, qui lin-
guam Germanicam, eique affines immediate ab orientalibus linguis esse de-
ducendam putant, sed hos potius sequar, qui statuunt, quod Teutonica sit
lingua Europæ antiquissima, linguarumque mater aliarum plurium.

§. XV. Me cachinno p. 9. excipit, quod dixerim: neminem ante me,
quantum observaverim, annotasse, quod radices Japheticæ tribus ad sum-
mum consent literis, quod tamen assertum subsequenti tempore nonnihil
limitavi. Hanc vero opinionem ipse credit, se ante multos annos docuisse.
Sed iterum ignorat Elenchum, neque meam mentem satis assequitur. De-
dit ille receptissimam illam Grammaticorum sententiam, quod in lingua He-
braica radices consent 3. Consonantibus, quas solas vocant literas: Ita tres
Consonantes duas iterum requirant vocales, primam ut plurimum longam,
& alteram ordinarie brevem; atque ita radix lex moris, quas vocant, absol-
vatur. E contrario in veris lingue Celticæ h. e. vetustissimæ Germanicæ ra-
dicibus aut una litera Vocalis absolvit vocem, aut unica Consona cum vocali,
aut denique consonantes duæ, rarissime plures, quæ tamen nonnisi unica vo-
cali copulantur, occurrunt; ita, ut, si metiri velimus tale vocabulum, se-
cundum principia Dantziana, non sex, sed tres ad summum haberet moras:
Judicet proinde quilibet vir prudens: an idem statuerim, quod olim adver-
sarius senserat? Me porro ridet, quod Herodotum aliosque veteres Scripto-
res adduxerim, ad illustrandam veterem Celtarum & Germanorum histori-
am. Secutus sum in hac re viros Clarissimos, præcipue Grotium, Rudbec-
kium

kium, Morhoffium, aliosque: Quia enim e Germanorum hymnis, quos unum erat apud ipsos annalium genus, nonnisi pauca ad nos pervenerunt, inter quæ est sola fere nominanda membrana illa, quam olim Goldastus & deinde Thuanus possederunt, quæ vero nunc in Parisiensi, tanquam res summi pretii, servatur bibliotheca, Runicis literis inscriptos conservans ejusmodi hymnos plures, quos non sine multis impensis publici juris facturus, describi curavit FRIDERICUS ROSTGARDUS, nunc Consiliarius & Archivarius Regis Daniæ; Omnino scriptores Græci consulendi sunt, & præcipue Herodotus, omnium Historicorum pater est audiendus. Laudatus GROTIUS non modo id agit, verum etiam omnia vocabula Celtica & Scytica quæ in citato historico occurrunt, Germanica esse probat. Similiter RUDBEKIUS, quicquid statuit, e Græcis Latinisque historicis corroborat, quorum exempla MORHOFFIUS aliique viri eruditi imitati sunt. Quid quod ipse adversarius quandoque in scriptis suis ad Platonem, Strabonem, aliosque provocet? Sitandem ego propterea ridendus, quid meritus erit PHILIPPUS CLUVERIUS, qui librum Taciti de moribus Germanorum pro fundamento habet prolixioris operis, quod de Germania antiqua conscripsit? Uter quæso nostrum melius facit, an ego, qui meas positiones e veteribus Græcorum & Latinorum scriptis probō, an ille, ejus principia meris innituntur somniis & figmentis? quale est, de diversis missis in Germaniam Judæorum coloniis, præcipue de illa, quam credit adversarius Vespasianum Judæorum victorem in Bavariam transduxisse. De hac re nihil unquam in historia legisse, fateor: quamvis bene noverim, multos Judæos, duorum Romanorum jugum fugientes, deserta Palestina se ut mercatores contulisse, ut in alias Europæ plagas, sic etiam in Germaniam, idque factum esse tam ante Christum natum, quam præcipue post Vespasiani devastationem metropoleos Judaicæ. Taceo, quam sæpe per suas Etymologias in Historiam impingat, ut supra demonstratum est.

§. XVI. Cum pag. 84. libelli mei dixissem: non adeo absurde sentire, qui vocabulum TEUTSCH a nomine *Afenax* deducerent, advertarius licet in cæteris ipse omnia vocabula Germanica ex Oriente deducat, in hæc verba ita commentatus est p. 27. *Ich betheure hoch, daß mich lieber vom Censore (hoc nomine me insignit) wolte öffentlich einen Narren schelten lassen, als seine Stelle vertreten, und so ungeschickte Etymologiam führen.* Sed liceat HARSDOERFFERUM, hanc qui solam adducit nominis Ger-

mano-

manorum rationem, prætermiſſis cæteris, & ita tacite eandem approbare videtur, cui me debere hanc Etymologiam, ingenue fateor. Ita vero ille Philologia Germanica Diſp. II. §. 8. *Neque minor opinionum eſt diſcrepan- tia in derivatione vocis TEUTSCH, vel DEUTSCH. Sunt, qui hoc nomen a conditore gentis Aſcanaz vel Aſcenas, filio Gomari, deducant, freti auctori- tate Joſephi L. I. Antiquit. Judaic. c. 7. cui ſuffragatur Rabbi Elias Levita in ſuo עִשְׂרֵי תַּיִם circa finem L. N. Omnes, inquit, terram Alemanniæ vocare ſolent ab Aſcena אִשְׁכַּנָּא. Hinc præpoſito articulo DIE, vel, ut antiquiſſimi Saxonici ſcribunt, THE vel DU, fit ex ASCAN, THEASCAN vel DU-ASCAN & inde per contractionem DEUTSCH vel TEUTSCH. Sic Itali hodieque nos vocant LA GENTE TODESCA &c. Hæc eſt illa ſententia, qua inſignem meam ſtultitiam, vehementer prodi exiſtimat. Ego vero quamvis dixerim & credam, nihil ipſi in eſſe abſurdi, neminem tamen, ſive probet eandem, ſive minus, ſtultitiæ adcuſabo. Illud quoque præ cæteris ridet, quod nonnulla adduxerim vocabula p. 42. libelli mei, quæ ex vocu- la UT prognata videantur. Sed quod hoc loco ſe primum animadvertiſſe credit adverſarius, mihi jam ante oppoſitum erat a viro tam modoſto quam erudito, cui etiam ſimili modoſtia reſponſi Tom. III. Miſc. Lipſ. Obf. 64. p. 253.*

§. XVII. Sed cum ex hæcenus prolatis appareat, cujus ſurfuriſ prin- cipia ſint & objectiones Wackianæ; abuti mihi viderer Lectoris B. patientia, ſi earundem plures proferrem, & ad eas reſponderem. Unicum proinde, quod monendum ſuper eſſe exiſtimo, hoc eſt, ne credat adverſarius me im- poſterum ad ejus calumnias reſponſurum, ſi mihi inſultare pergat; reſponſu- rum tamen eſſe, ſi veritatis ductus ſtudio cohibeat iracundiam, verbisque uſus Theologiæ Profeſſorem decentibus magis Chriſtiane mecum agat, & bene dictis mecum certet, quo pacto & ex me bene auditurum ipſum eſſe do fidem. Sic enim omnino fieri a nobis debere cenſeo, ne quis contra nos furgat ali- quando, Thaidiſque Terentianæ illius meretriculæ egregium & plus quam philoſophicum dictum nobis objiciat :

- - - non te dignum Chærea feciſti.
Nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maxime; at tu indignus, qui faceres, tamen.

FINIS.

APO-

APOLOGIA LINGUÆ GERM.
CONTRA DURUM PETRI BURMANNI
PROF. LUGD. DE EADEM
J U D I C I U M.

§. I.

SI tanto essem ludificandi & lacerandi famam virorum honestorum studio, quemadmodum me adversarius, cui antecedentem opposui dissertationem, depinxit, variis nominibus auctorem Celeb. duræ illius sententiæ, de qua mox acturus sum, inculpandi atque culpandi jam mihi esset occasio. Et enim, cum contigerit mihi olim, ut Ultrajecti Dn. Burmannum publice docentem aliquoties audiverim, neque minus probe perspectas habuerim ipsius controversias, quas præcipue cum Joh. Clerico habuit, tandemque quod fieri solet, diversas de eodem diversorum opiniones perceperim, facili negotio unam earum alteramque iterare possem, quæ forte Viro Clarissimo tam ingrata lectu foret, quam nobis Germanis est iudicium, quod ille in oratione sua Inaugurali, quam Lugduni, Professionem humaniorum literarum 1715. subiens habuit, satis libere de lingua nostra protulit. Sed is non ego sum, insultando qui delectet aliis, aut illa conscribere mediter, quæ bilem aut moveant, aut honestam aliorum famam fugillent: interim quia dictum effatum veritatis & æquitatis tam enormiter transcendit limites, ut nemo Germanus sine æquissima illud indignatione videre possit, existimavi, cum de lingua agere jam cœperim Germanica, mearum esse partium, ut hac oblata occasione, quam inique nobis cum Germanis actum fit, ostenderem, quod tamen sine omni acrimonia me brevibus facturum polliceor.

§. II. Multum omnino sibi tribuunt, qui populo cuidam toti, nulla urgente causa, obijciunt & exprobrant vitium. Equis enim ignorat, naturam ita esse comparatam hominum, ut opus habitare secum sit cuilibet, quo cognoscat, quam curta sibi sit supellex, hacque cognitione porro intelligat, studium sibi met ipsi quantum propriis in emendandis illis, ad quæ natura omnes solemus esse proclives, adhibendum sit, quippe quo manu quasi abducitur illa ab arrogancia, qua quidam, inflati autumant, jura & leges populis a se omnibus esse constituendas, quas quicumque ausus fuerit negligere,

C

cen-

cenfuram atque animadverfionem fit promeritus longe graviffimam. Deinde cum nulla unquam gens tam rudis fuerit, tamque barbara, in qua non extiterint, qui emendato nationis vitio, moratiores feſe geſſerint, neque facile contagium, quo aliqua eſt infecta regio, in omnibus ejusdem ſimul reperiatur urbibus, imprudentiſſime omnino agere videntur, quicumque totam aliquam vituperare præſumunt nationem, ubi in uno alteroque ex ea orto iſtis aliquid diſplicet. Sed nos ad rem progredimur.

§. III. Non jam prolixè commemorabo illud, quod Clariff. Auctor Actorum Eruditorum, quæ Lipſiæ excuduntur Germanice, in recenſione Orationis Burmannianæ de illa non ſine gravi monuit judicio; optarem tamen, ut ea a Dn. Burmanno legerentur. Etenim tam accurata continetur ea recenſione dictæ orationis anatomia, tam viva affectuum, quibus auctor τὰ πρῶτην moturus, ipſe ſcribit motus, tandemque finis, quem ille habuerit in dicendo, tam certa demonſtratio, ut nullo modo dubitandum fit, quin laudatus relator intima mentis Burmannianæ perſpexerit penetralia. Sed miſſis cæteris plurimis, quæ ita integram contra hanc orationem jam alii monuerunt, & quæ etiam a nobis moneri poſſent; unicum præcipue conſiderabo ejus paragraphum, quo pag. 29. ardore ſacro Latinæ linguæ plenus in hæc verba auctor erumpit: *Quis non indignetur, graviffimam & ſeveram Germanorum nationem ita jam ab aliquo tempore in delendo Latini ſermonis uſu laborare cœpiſſe, ut publicæ Academiarum cathedræ & privatarum ſcholarum ſubſellia tremendo illo & inſuavi Vernaculæ Linguæ mugitu reboare audiantur?*

§. IV. Non approbo, neque hic prolixè adducam judicium, quod de his verbis in Ephemeride quadam Halenſi legiſſe memini, cujus auctor parum quidem modeſte, ſed ex jure talionis haud inconcinne aſſerit, reboantis & mugientis potius hanc eſſe vocem, quam viri eruditi judicium; applicat deinceps ad ipſius auctorem exemplum ancillæ Senecæ, quæ cum cæca eſſet, factam eſſe obſcuram domum credebat; id breviter tantum demonſtrabo, 1) Dn. Burmannum, hancce dum interrogante nemine reſponſionem dederit, exiguam iniviſſe a nobis gratiam, 2) Eundem hoc ſuo eſſato aliquid aſſeruiſſe, quod ſecus ſe habet, 3) Ipſum de lingua Germ. tam dure judicando prodidiſſe eo ipſo, ſe ne minimam quidem ejus habere notiã.

§. V. Pone igitur, linguam Latinam eſſe omnium elegantiffimam, & perfectiffimam; pone, eam, ut legem Judæorum Oralem, ab uno forte viro eruditi noſtri ſæculi conſervari puram; pone, linguam Germanicam eſſe mugitum

gitum turpissimum: æquis postulavit, ut Dn. Burmannus ferret de ea suum hoc iudicium? Excusari posset, si quidam Princeps Germaniæ missa ad ipsum legatione de emendandis Academiis, aut de emolliendo duriore sono pronunciationis in lingua Vernacula ejus consilium ambiisset; cum vero nulla prorsus oblata occasione, & nemine quærente respondeat, plurimi lectores, licet ego nihil tale crediderim, existimabunt: ipsum hoc iudicio affectare quandam in re literaria dictaturam, aut ex mero totas laceffendi nationes, & statuendi, quod nemo ante asserere sit conatus, pruritu scribere. Ad minimum non deerunt, qui, legentes adductum sum, sibi in memoriam revocabunt, quod Menedemus ille Terentianus ait:

Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi,

Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?

§. VI. Esse vero nonnullos in Academiis quibusdam Germaniæ, qui auditores suos Teutonice doceant, negare non possum, neque tamen etiam ignoro, illos ideo hoc facere, quia discipulos habent juvenes, qui cum nec praxi forensi, nec cathedræ Ecclesiasticæ consecrati sunt, sed aulis aut armis, non opus habent, ut tempus, linguam addiscendo Latinam, perdant, contenti, si aliqualem in Historicis, Geographicis, & similibus studiis sibi notitiam acquisiverint; neque quorundam excuso oscitantiam, qui hos doctores, licet dispares auditores habeant, imitantur: sed an nationi imputandum toti, quod unus aut alter facere conatur? Si in Academiis Saxonicis quidam sunt, qui publice docendo lingua utuntur vernacula, eo, quem diximus, sine; certe non desunt, & plures quidem, verbis qui Latinis sua explicant dogmata, De scholis idem sentiendum est. Sunt, vivacius, qui putant, se animi sensus exprimere posse vernaculo, & tenacius auditoribus imprimere, quam Latino idiomate; neque tamen & hi Latinam linguam plane negligunt. Deinde sub iudice adhuc lis est, an in solo Belgio nitor Ciceronianus floreat, contra in Germania exulet, si vel maxime in hac linguæ Teutonice mugitu subsellia reboent, in illo vero cathedræ lingua Latina resonent. Verum est, neque diffiteor, dari, qui proponenda Germanice proponant discipulis, sed neque hac in re una, quod dicitur, hirundo facit ver. Audiat v. g. provincialium, quæ florent in Saxonia, scholarum doctores, quicumque vult, observabit, eos secundum legum suarum tenorem adhibere perpetuo in docendo linguam Latinam, De Romano-Catholicorum scholis & Academiis, quarum non parvus inest Germaniæ numerus, jam nihil dicam, quia neminem

ignorare existimo, quanto & cæco quasi amore Latina lingua in illis unice colatur, ita ut Cleri quasi vernacula sit. Miror proinde non parum Dn. Burmannum omnium Eruditorum in se oculos converfurum, quemque maximum esse polyhistorum & sapius dicta Oratione conjiceret, non meliorem causæ sibi acquisivisse notitiam, antequam tam vehementer contra veritatem impingendo, aliquid toti objecisset nationi, quod pauci ejusdem gentis consilio privato faciunt.

§. VII. Quemadmodum vero ille non primus est, qui Germanis nonnullis id vitio vertit, quod auditoribus suis eruditionis thesauros exponant lingua sibi vernacula; ita non defuere, qui libris integris hunc morem defenderunt, probantes: hanc esse cuilibet populo licentiam, ut, ad exemplum Græcorum & Romanorum, juventutem lingua sibi erudiat patria, quia cultura linguæ, alicui quæ est vernacula, & Latinæ, non contradictoria sed subordinata sint. Neque Germanos ab hac libertate excludendos esse, publica nuper Oratione in Academia Halensi Vir celeberrimus Fridericus HOUCKIUS edocuit. Eandem rem jam ante approbaverat Christ. Theophrast. Gravius Philos. Prof. Ord. Gymnasii Herbornensis in peculiari scripto, quod anno MDCXCII. hoc titulo edidit: *Demonstratio paradoxa de nostræ linguæ vernacule in docendisque discendisque artibus & scientiis possibili usu &c.* Quo ipso libro ab una disciplina atque arte tam scholastica quam Academica, ad alteram progrediens, docuit, eas tradi omnes ac singulas posse multo majore cum fructu Germanice, quam Latine. Prætereo librum Casp. BUSINGII, quem Hamburgi hoc titulo edidit: *Discours von der Information sowohl des Verstandes als des Willens, wie in allen Wissenschaften insgemein, also in der Mathematic insonderheit.* Quo quidem libro maxime reprobatur receptum hæcenus morem, scientias Latine docendi in scholis publicis, quippe quo optimi ætatis anni a juventute in addiscendis linguis consumerentur. Horum argumenta, quæ ex charta in papyrum nolo describere, si perspecta habuisset & ponderasset Vir Clarissimus, intellexisset, quod, mota cum jam fuerit olim hæc controversia, & decisa, actum agant, quicumque illam renovare studeant, eisque responderi, mutatis mutandis, posse id, quod puella quædam rescripsisse dicitur suo amatori. qui e libro, epistolarum formulas continente, quasdam exscripserat literas, atque ita amicæ miserat: *Verte, scripsit illa; responsonem videbis in altera Secretarii Tui domestici pagina.*

§. VIII.

§ VIII. Nonnullos quoque, si prolixior esse velim, possum nominare, qui scriptis suis abusui se opposuerunt, quem in hac re fieri observarunt. Neque enim negandum, quod aliquando intus peccetur & extra. Quamvis enim facile largiar, nullam esse Mathematicas, & aliarum scientiarum partem, quæ non æque feliciter tradi possit alia quadam, quam Latina lingua; quamvis etiam penitus persvasus sim, perfectissimam quoque idiomatis Latini aliorumque cognitionem, si iudicium & probi mores desint in aliquo, neque ad prudentiam, neque ad felicitatem aliquid conferre hominis: pro explorato tamen etiam habeo, Latinæ linguæ non modo notitiam ipsi omnino esse necessariam, qui inter eruditos nomen suum profiteri cupit, quod ea sapientium libri, quibus carere nequit vir doctus, conscripti sunt, unde etiam a multis annis imo seculis dicta & facta est eruditorum vernacula. Quemadmodum vero non melior datur modus eandem juventuti inculcandi, & ipsos discentes quasi cogendi, ut eam excolant, inque illa se exercent, quam si in scholis & Academiis saluberrima variarum artium medicamenta optimo hoc vehiculo auditoribus infundantur; ita segniter agunt, & officio improbe funguntur suo, quicumque, necessitate ante nominata non urgente, secus faciunt. E contrario vero sine dubio vehementer errant, quorum retur animus, se omne tulisse punctum, cerebrum ubi suum solis Latinis vocibus impleverunt; & perversa eorum ambitio proverbiali locutioni ansam dedit, qua virum, quem vulgus barbaro vocabulo pedantam vocat, homines aulici caput Latinum appellare solent. Taceo, quod si lingua Latina eo modo excolenda sit, quem commendat Dn. B. in Oratione, illud vix ab Erudita quadam societate longo temporis tractu, nequaquam vero ab uno fieri posset homine. Variat facies orbis eruditi de tempore in tempus: fuere secula, quibus Latinæ linguæ qualis qualis cognitio absolvit virum doctum, Græca notitia eundem reddidit suspectum, Hebrææ Necromantiæ ipsum accusari fecit. Multum esse putabant nostri majores, si decimam partem eorum vestigalium, quæ hæc die subditi tribuere coguntur, magistratui suo, solve e tenebantur; neque tamen hodie fame quisquam perit, sed crescit tunicati popelli fastus & luxus in dies: ita eruditis considerandum, plura hodie discenda esse juveni, quam ante 50 annos sciebant in nostra patria senes; & consentiunt proinde viri docti prudentiores, quod in scholis charæ nostræ patriæ illi nequaquam sint audiendi, (dari vero tales, quis ignorat?) qui, quoniam ipsi præter Græcæ & Latinæ linguæ aliqualem notitiam, nulla in juventute alia

imbuti sunt scientia, licet auditores habeant nobiliores, inque urbibus vivant & doceant celeberrimis, hisce linguis, si Mitternachtii Dialecticam & Rhetoricam ad summum addant, comprehendi suis studiis omnem eruditionem clament, cæteras, si quæ darentur artes, aut nullius esse usus, aut Academicis eas esse linquendas, penitus existimantes. Hæreticum tales esse prædicant aut fatuum, quicumque Mathesin ad scholas pertinere asserit; pallent, si de studio aliquid ipsis dicas Historico; ictero laborare incipiunt, ubi Gallicæ linguæ a juvenibus scholasticis fieri mentionem audiunt; & extra se ira positi, anathemate fulminare incipiunt, si exercitia corporis ab iisdem nominari percipiunt. Tantos dari in Germania quoque Latinæ linguæ defensores si Dn. Burm. scivisset, hos ad minimum excepiisset, neque in omnes sine discrimine Germanos iram suam evomisset.

§. IX. Sed cur mitius agit ille nobiscum, quam cum suis egit civibus, in quos non minus fere quam in nos invehitur, quod scriptores Latinos aliæque, quæ ad eruditionem spectant, in linguam Belgicam transferant? Sed si obiter hac de re mihi licet ferre meum iudicium, crediderim, quod quicumque reprehendunt illos, scientias qui transferri curant in patriam sibi linguam, idem faciant, quam Scripturam qui Sacram a Laicis legendam esse pernegant. Si quæ datur natio, in qua infimæ sortis homines iudicium ut liberum, ita & sæpe argutum, de re quavis ferre possunt; certe natio est Belgica. Videas ibi vel ancillas avide novellas legentes publicas, quo labore se posse supersedere nonnulli arbitrantur aliarum nationum eruditi, & multi vilissimæ sortis homines, ut filii nautarum, superant aliorum populorum astronomos maxime celebres, si sermo est de ventis, astris &c. Curigitur non etiam transferant scientias linguam in suam vernaculam satis per se laudabilem? Nullus fere populus dubitat ab aliis mutuari linguis rerum denominationes, quas vernaculo sibi sermone nescit exprimere. Similis licentia licet reperiat maxime inter plebem Belgicam; hæc tamen gloria iis non deneganda, orationes quibus habere publicas inunctum est, quod ab ejusmodi libertate plane abstineant, hocque tanta severitate, ut in concionibus sacris terminos technologicos & præcipue Theologicos prolixiori malint periphrasi exprimere, quam unicum vocabulum Latinum adhibere, quippe quo docent, suos conterraneos, rem quamvis non minus commode Belgica dici posse lingua, quam Latina
aut

aut alia. Quam iniquus igitur est ille rerum iudex, qui id, quod hominibus videtur natura tribuisse, denegare illis conatur, nempe ut ingenium per se sagacissimum excolant, legendo libros scriptos in illis linguis, quas addicere neque tempus ipsis est, neque occasio.

§. X. Præ omnibus vero Europæ incolis Gallos credit maxima linguam Latinam injuria hæcenus affectisse, quibus etiam exprobrat, quod non modo libros Græcos Latinosque, in suam linguam transferant & eam ita æquiparent cum Latina, sed & omnia eruditæ agenda pertractent in vernacula: Equidem non agam præconem linguæ Gallicæ, neque asseram, sine discrimine fidem habendam esse illis, qui innato in patriam amore, eandem ad infaniam usque laudant: attamen neminem puto tam iniquum rerum æstimatorem fore, qui negaverit, quod lingua dicta in multis Latinæ & Græcæ parum aut nihil cedat, quamvis id quoque verum, quod in quibusdam rebus hæc illam omnino superent. Unum ut adducam, facile largior, omnes linguæ dictæ Gallicæ elegantias magis artificiales esse, quam naturales; interim hoc non negandum, quod indefessa nationis in excolenda sua lingua industria, ad tantum eam extulerit fastigium, ut parum addi posse ejus nitore videatur. Etenim, si ego aliquid hæc in studiis video, etiam ad Gallos quadrat, quod Horatius de Græcis affirmat, sc. Musam ipsis dedisse ore rotundo loqui, adderem etiam peripicuo. Abstinet illa a fucis, mollitie & hyperbolicis dictionibus, quibus ipsi agnatas linguas commaculati novitius, verbisque sæpe tribus illud exponere potest, quod Græcis Latinisque prolixa periodo & paraphrasi dicendum. Quid vero non invenit, quid non excogitavit, obscurum præcis, natio Gallorum prudentissima in artibus bellicis & aliis, quod Græcis & Latinis vocibus aut non, aut difficillime nominari potest? Memini legisse libellum de arte falcones a fuesfaciendi venationi, vulgo vocant: LA FAUCONERIE, cujus auctor probat, supra centum voces occurrere in hac sola arte recens inventa, quæ Græcis Latinisque vocibus nequeant exprimi. Quis igitur vitio verterit cultissimæ huic nationi, quod libros, quibus utilitatis aliquid inesse videt, in suum vertat idioma, ut etiam eos illi possint legere, qui studiis panem lucrari non cupiunt; quod nostro tempore inventas res novis nominibus insigniant, unoque verbo plus collocent temporis & studii in excolenda viva sua lingua vernacula, quam in Latina mortua, cui nihil addi aut in ea mutari posse norunt.

§. XI. Sed progredior ad meum assertum reliquum, quod erat, Dn.
Burman-

Butmannum tam dure, ut ne dicam absone, de lingua Germanica judicando, declarasse, se ne minimam quidem ejus habere notitiam. Equidem si par pari referre vellem, facile ipsi possem opponere nonnullos Germanorum; ut de Gallis, Anglis, aliisque nationibus taceam, qui de lingua Belgica eodem modo loquuntur, quemadmodum ille de Teutonica. Tale est Andreae HELWIGII, qui in Præf. ad Origines linguæ Germanicæ ita differit: *Spuria est lingua Belgica, seu (ut mitius dicam) spuma nostræ Germanicæ, tanquam a lallantibus & balbutientibus pueris, per mutuam συνθήκην introducta quondam, veluti per febrim recepta in vulgus gentis ejus, nisi quod ad vicinorum Hispanorum suorum Gallorumque imitationem multa semi-Latina intermiscet.* Similem in modum ERASMUS Rot. dicere solebat, quod quotiescunque de re seria sibi sermo sit, Latine loqueretur, quoties de nugis, Gallice aut Belgice. Fateor, quod mihi, in Hollandia versanti, quotiescunque plebem Belgicam confabulari audivi, quoque ab initio aures lædi visæ sint; sed ubi conciones sacras cœpi intelligere, & occasio mihi fuit audiendi honestos viros, & scæminas colloquentes, maximum me cepit ejusdem linguæ studium. Tantum igitur abest, ut nostram linguam ulturus, talia contra linguam Belgicam proferam, qualia dicto loco contra nostram prolata sunt, ut potius laudandam mihi eandem multis nominibus existimem, si tempus & occasio ita ferrent. Ex quo concludo, quod si Dn. Burmannus quoque linguæ Teutonicæ aliquam haberet cognitionem, sine dubio aliter de eadem sensisset: cum vero ex ipsius judicio contrarium appareat, facile constat, artem quod dicitur, non habere osorem nisi ignorantem.

§. XII. Neque opponam ipsi estata aliorum Belgarum, ut LIPSII, BECANI &c. qui de lingua Teutonica multo prudentiora & meliora tulerunt judicia: Illud tantum mihi mirum videtur, quod vir tantæ eruditionis tam inurbanis verbis contradicat illi, qui olim eodem munere, sive, ut hodie loquuntur, eadem Professione functus est, quam Dn. B. sæpe adductus nunc obtinuit. BOXHORIUM intelligo, qui post alia multa encomia, quibus merito effert Teutonicam, propterea plurimum esse laudandam asserit eam, quod *mater cæterarum sit Europæarum*, ita canens:

Barbara cur aliis Germania dicitur? isto

Græcia cum Latio noscitur ore loqui.

Opponit hos versus eis, qui barbaram tantummodo vocare linguam Germanicam contenti erant, ut Græci & Latini fecere: quid igitur diceret,

si rediret, atque suum successorem audiret asserere, Germanos loquelam perdidisse, atque instar boum mugire incepisse. Facile quidem percipio, ut hoc quoque addam, Dn. Burmannum hæc verba non velle propriissimo intellecta sensu, sed metaphorico. Num vero tantus Orator tam dura uteretur metaphora eaque, ad eo melius exprimendam suam mentem, duplici, nisi singulari aliquibus insultandi studio hoc faceret?

§. XIII. Quod reliquum est, non jam panegyricum scribam illius linguæ, de qua tam finistre iudicatum est, ne Iliada canere post Homerum videar, memor, quod ante mea tempora protulerit patria non modo viros, quales fuere SCHOTTELIUS, MORHOFFIUS, PRASCHIUS, DAUMIUS, aliique, sed & Societates illusterrimas, a quibus nihil prætermisum est, quod in enarrandis Germanicæ linguæ meritis encomiis addi potuisset, ipseque, horum ductu hoc argumentum alibi prolixius pertractaverim: attamen si non alias, hanc certe ob causam, laudato BOXHORNIO optime monente, & teste SCALIGERO, PEZERONIO, RICCARDO, aliisque, revereri eandem deberent omnes Europæi, quod *mater illa dicitur & est cæterarum omnium*, id quod nos quoque probatum alio loco dedimus, & adhuc credimus, quia frivolæ istæ objectiones, quæ sunt huic sententiæ hæcenus oppositæ, illam nequaquam infringunt. Si illæ linguæ, quæ nationis suæ indefessa & laudabili studio corruptis & detortis vocibus Latinis constant, hodie maxime æstimantur, quantis afficiendum erit honoribus nostrum idioma, radices, quod suas monosyllabicas a primo Germanorum in patriam adventu, ad hanc usque diem conservavit? Quanta præterea huic linguæ naturalis inest simplicitas & æqualitas, quanta venustas, quanta gravitas & majestas? Frustra ibi quærat aliquis vocabula poëtica, quæ fere dimidiam partem linguæ Græcæ constituunt; frustra transpositionem illam, quæ ut proslam, sic ligatam Orationem Græcorum & Latinorum tam facit obscuram, ut de vero multorum locorum sensu post tot secula homines eruditi certent, & adhuc lis sub iudice maneat. Quæ linguæ nostræ vocabulorum est copia? Certe si similis vocum abundantia in Orientalibus nonnullis daretur, jam olim cessassent bella illa literaria, quæ ex æquivocationibus, & quod eadem vox quandoque in eodem libro ultra viginti significationes obtinet, orta sunt. Scire quidem discupio, quid Dn. Burmanno in lingua nostra mugitum reboantem

D

effi-



efficere videatur, an ipsum idioma Germanicum, an ejus elocutio? Si hæc, cur innocens præter omnem æquitatem adeo vapulat lingua? & quis dubitaret, animum Dn. Burmanni veneribus Petronianis assuetum, putare ingratum esse, quicquid eas non redoleat. Si ipsam linguam esse merum mugitum putat, annumerandus omnino est heroicæ nostræ linguæ osoribus, & viris plurimis Celeberrimis etiam Belgis contradicit. Ut enim populus Germanus adversarios, ita lingua ejus semper habuit osores. Nota est vetus fabula ab Hispanis, nisi fallor, in Germanorum contemptum excogitata, quod Carolus Quintus dixerit: se solere cum equo Germanice loqui. Huic fabulæ si aliquid veri inesset, quod tamen non est, æquiore omnino hic Imperator animo, qui ipse a parentibus Germanicis ortus erat, fuisset Dn. Burmanno, qui non equis, sed bobus nostram linguam convenire & propriam esse asseruit. Quo quidem tanti in reliquis Viri judicio ne forte aliquis Germanarum æque expertus literarum ac illius auctor, inducatur, ut existimet, Teutonas ab aliquo tempore incepisse bubulo more & voce sua sibi invicem sensa declarare, monere hocce schediasmate volui eruditos, ad quorum forte oculos perventurum est, ne hac in re Viri Cæl. fidem habeant, sed ipsum ea asserere, quæ ab aliquo alio, Germanis forte inimico, audiverit, atque ita dicto loco relata tantum referre, sibi persuadeant. Si vero poneremus, eundem dictæ linguæ non plane rudem esse, dicendum omnino foret, ipsum salva reliqua ejus eruditione, hoc judicio nequaquam rem acu tetigisse, quod maximis sæpe viris accidere novimus. Bonus quandoque Homerus dormitat, & subtilissimi

Philosophi sæpe ita scripserunt, ut Lectores dixerint: Si tacuisses, Philosophus mansisses.

F I N I S.



CON-

CONSILIUM DE CONSTITU-
 ENDA SOCIETATE, QUÆ BARBARI-
 EM, IN LINGUA VERNACULA NOSTRA
 IN DIES CRESCENTEM, COERCERE
 S T U D E A T.

§. I.

SI verum esset viri doctissimi, cujus præcedens contemplata est Dis-
 sertatio de Lingua Germanica iudicium, oleum certe & operam per-
 derent cultura ipsius invigilantes, & sola lingua Latina, interpretis illis
 omnium idiomatibus tanquam barbaris, quæ hodie florent, a teneris di-
 scenda ungviculis, excolenda & unice veneranda foret, cujus tandem,
 qui excellentiorem sibi acquireret notitiam, ille nomen mereretur solus
 viri eruditi. Mihi vero res videtur se habere cum lingvis eodem mo-
 do, quam cum totis gentibus, quin & singulis hominibus, quorum natu-
 ram bene ac sapienter DEUS ita creavit, ut non omnia ferat omnis
 tellus, nec omnia possimus omnes; sed non modo populis, verum &
 quibusvis hominibus a natura aliquid inditum sit, quod si probe expoli-
 ant, in hoc vel illo artium & scientiarum genere aliis quibusdam omni-
 no præferendi sint. Similem in modum crediderim, nullam esse lin-
 gvam tam barbaram, tamque incultam, quæ non habeat, quo præponen-
 da sit aliis, licet in quibusdam rebus etiam iisdem cedat.

§. II. Equidem jam non agam de præstantia, lingvas qua nostræ
 vernacula alias quasdam superat, cujus aliqua in antecedente Dissertatio
 §. XIII, adduxi exempla; illud tantum miror, quod mei cives, cum
 tantam esse lingvæ suæ dignitatem percipiant, industriam non majorem
 in ea excolenda hactenus adhibuerint, licet quotidie intelligant, cæteras
 Europæ nationes fere cultiores quaslibet in eo esse totas, ut a lingua sibi
 patria illud removeant, nimia quod antiquitas nostro ingrati fecit se-
 culo, solutam ejusdem non minus quam ligatam orationem usu compro-
 batum per vocabulorum selectum, eorundem amœnum numerum, quin
 & totius styli æqualitatem, aliasque exornent veneres, atque ita illam in-
 dies magis magisque eliment. Sed jam alibi hujus negligentia Teuto-
 nibus

nibus indignissimæ causam. offendi, atque optavi, ut plures inter nostrates proprium quasi hoc suæ nationi vitium, quod est, externa æstimare, & ea, quæ circum sunt, contemnere, emendare quærant, quemadmodum plurimi eorum alia, quotquot forte dantur climatis vitia, felicissime superare didicerunt.

§. III. Equidem non defuere præterito tempore, qui crediderunt, id sibi dari negotii, ut linguam sibi patriam quocunque modo illustrarent, de quibus prolixiorum hoc quidem loco relationem non instituam, neque merita illos laude inactabo; nullam tamen quorundam ex illis mentionem non faciam, qui a Caroli V. tempore, cujus seculo, ut reliqua studia, sic & nostri idiomatis cultura, maximum in Germania incrementum ceperunt, usque ad nostram ætatem præ ceteris patrium sermonem exornare studuerunt. Initium in lingua elegantiori Teutonice excolenda, quæ *Saxonica* appellatur, a nonnullis etiam Scriptoribus *Misnica* dicitur dialectus, vulgo vero vocatur *die hochteutsche Sprache*, sine dubio ille fecit; cujus ministerio Christianam religionem misere depravatam & impiis absonisque hominum otiosorum figmentis corruptam, DEUS patriæ nostræ puram restituit. Ecquis enim producere potest librum, vel ante B. Lutheri tempus, vel ipsius ætate conscriptum, omnes ita styli purissimi & elegantissimi proprietates qui contineat, quam versio ejusdem S. Bibliorum, & reliqua, quorum ille auctor est, scripta. Neque contentus, tantam sibi in vernacula lingua cognitionem, tantamque styli elegantiam comparasse, ut major illa esse non potuerit, Criticum quoque egit in hoc studio præstantissimum, libello publicato, *de Proprietatibus Germanorum Nominibus*, quo ipso satis superque declaravit, se non minorem profanæ historiæ & Philologiæ, quam linguarum & dogmatum sacrorum habere notitiam.

§. IV. Post B. LUTHERI obitum bella Musis inimica, & alia Germaniæ fata tristiora effecerunt, ut patres nostri contenti, si conservaverint linguam & cætera, in eo fastigio, ad quod Lutheri pervenerant tempore, per dimidium istius seculi alterum, quo vixerat ille incomparabilis reformator, parum hæc studia curaverint, donec circa initium seculi XVII. incluserit MART. OPITIUS, qui non modo amorem in linguam patriam eo palam fecit, quod de sancto Anone Colon. Archiepiscopo, ante D. annos conscriptos versus Teutonicos incerti auctoris, ex mem-

membrana veteri cum doctis animadversionibus ediderit, variaque reliquerit specimina, quæ vivus in soluta Oratione Germanica non sine insigni eruditorum applausu promulgaverat, sed & ligatam Germanorum Orationem ad id extulerit cacumen, quo Lutherus prosam pervexerat. Sectatores habuit multos, quorum tamen plurimi deliciis in poeticis animi experiri maluere vires, quam nostræ linguæ Antiquitates & Grammaticam excolere.

§. V. Neque virorum modo talium, quos numero recensere superfluum foret, ferax nostra fuit patria, SOCIETATES quoque nonnullas protulit, quarum membra conjunctis, quæ solent esse fortiores, viribus, vernaculam exornare linguam studuerunt. Harum nemini ignota erit illa, quæ non sine ratione *Fructifera* est dicta, & quam non minus Præsides Serenissimi, quos successively habuit, & membra quædam celsissima, quam eruditi fructus, quos magna tulit copia, plurimum illustravit. Neque enim dubitarunt Principes summi Nominis, nempe LUDOVICUS *Anbaltinus*, WILHELMUS *Dux Saxonie*, & AUGUSTUS, itidem *Dux Sax. & Archiepiscopus Magdeburgensis Administrator*, suo Potentissimo eandem nobilitate præsidio. Inter excellentiora ejusdem ornamenta & membra primo sine dubio loco est nominandus, Serenissimus Princeps AUGUSTUS *Brunsvicensium & Luneburgensium Dux*, una cum filiis tribus, quorum quartus ordine ANTONIUS ULRICUS Inviçtissimo nostro Cæsari neptem dedit in matrimonium. Hujus exemplo societatis, vel eodem, vel mox subsequente tempore, & aliæ nonnullæ eundem in finem, quàm modo dicta, ortæ sunt, ut *Rutigera*, *Argentoratensis*, *Societas Pastoralis Pegneseorum*, *Ordo Cygneus* &c. quæ vero magis conatu laudabili, quam fructu, & per quod floruerunt, tempore, cum priori illa, cujus historiam *Harsdoerfferus* aliique prolixioribus exposuere scriptis, conferendæ sunt.

§. VI. Non opus esse existimo, ut in causas verbis inquiramus pluribus, quibus dictæ societates, & studium Virorum, quos laudavimus, non diutius duraverint. Sufficiet, si impedimenta illarum & mendæ, quæ ipsis non defuere, cautiores faciant posteros, eundem moturos lapidem, ut inde exemplum sibi sumant, & in constituenda, Deo adjuvante, societate cultorum linguæ Germanicæ, omnia evitent offendicu-

la. Neque enim viros de patria tam bene meritos palam reprehendere, aut taxare æquum est. Interim bellum, quod circa illa tempora, quibus ita de emendatione linguæ nostræ cogitarunt viri docti, multa Germaniæ loca devastavit, non ultima certe fuit ratio, cur dicta confortia tam cito dissoluta sint. Illud vero mirum, quod post ea tempora, tot florentibus in Germania Eruditorum societatibus, omnibusque fere cultioribus Europæ nationibus in excolenda sua lingua occupatis, societas hæctenus, ad majorum nostrorum exemplum, inter nos constituta non sit, quæ linguam illustrare patriam studuerit, licet id optantes & suos cives excitare quærentes, non defuerint, licetque facile quilibet intelligat & conqueratur, quæ summi nitore, laudatorum studio virorum, attingisse videbatur modo cacumen, turpari nunc in dies magis magisque linguam nostram, sciolis nonnullis eam vocibus, phrasibus & constructionibus barbaris quotidie commaculantibus: sperare tamen, ut mox dicturi sumus, licet, præteruisse nunc tempus ignorantæ, pace per summi Numinis clementiam Germaniæ fere universæ reddita.

§. VII. Cum summa animi delectatione non modo ex Actis literatorum publicis, verum & e diversorum amicorum literis certior fio, esse Viennæ, Berolini, Lipsiæ, Hamburgi, aliisque locis Germaniæ nobilitatibus, qui velint, dari occasionem sibi, qua diligentiam, quam in cultura linguæ Germanicæ inter privatos tantum parietes adhibuerunt hæctenus, etiam aliis declarare, suasque meditationes aliorum iudicio & limæ subicere possint; unde a multo jam tempore optaverint, ut denuo fundamenta ponantur ejusmodi societatis, cujus membra horas successivas, suæque otia, aut, si fieri possit, studia omnia cultura sermonis nostri confecerent. Equidem non ita Suffenus ego sum, ut amicis nonnullis omnino fidem habeam, qui proprio in patriam amore, & exemplo vicinorum nostrorum moti, ut manum utilissimo huic studio admoveant, ex mera ad me perscribunt modestia, meis qualibus adhortationibus, quibus aliquoties meos omnes & singulos continentaneos, ut excolant linguam sibipatriam, impellere quæsi, se instigatos ad hunc subeundum laborem, jamque promptos esse, qui sua conferant Symbola, modo detur, qui ea colligat: attamen ipsorum desiderio plane deesse nolui, sed saltem conatum eorum laudabilem, dum sua adhuc latere volunt nomina, hoc schediastmate orbi literario indicare & exponere, aliosque mihi huc usque

que

que ignotos simul ad futuram nostram, si Deo placet, *Philo-Teutonum societatem* invitare debui, simul, ita volentibus amicis, addens, quid fugiendum, quidque agendum illis existiment fundamenta posituri confortii, quibuscunque amor in linguam patriam, intellecto hoc nostro proposito, persuasurus est, ut sua opera & labore nos adjuvare constituent.

§. VIII. Ad fugienda proinde quod spectat, nemo, quicunque suum addere in salutari hoc labore cogitat calculum, existimet, se ea aut præmium cut lucrum, aut magnam nominis sui gloriam acquisiturum. Novimus stipendia, quæ Rex Ludovicus XIII. constituit linguæ Gallicæ cultoribus, Cardinali de Richelieu hoc svadente: Perennem neque famam ignoramus, quam Tassus, Petrarcha, Dantes, aliique cultura linguæ patriæ sibi compararunt: Sed æque minus obscurum est, quod vivamus ejusmodi seculo, quod species Additionis & Multiplicationis ex eruditorum Arithmeticis crassa sint, quibusque illud Juvenalis quam maxime valeat:

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

Ad famam, quam expoliturus nobiscum linguam Germanicam se consecuturum sperare posset, quod spectat, ea quoque admodum erit exigua. Quanta enim in ipsa quoque Germania Eruditorum pars est, qui superfluum, neque satis dignum eruditorum virorum personis hoc studii genus putant? aut quod in solius Pacuvii, Ennii, Plauti &c. jurarunt verba, linguæ Latinæ cognitione omnem absolvi eruditionem existimantes, aut quod communissima hodie, præcipue viris quibusdam militaribus & aulicis, Ine Gallica vehementer infecti, optant: Gallo- rum linguam fieri Europæ universalem, Germanicam vero nobilibus ac sapientibus viris indignam, in Malabariam, aut nescio, quo, tanquam exilium ablegari, aut denique, quod sibi vehementer placent, si more mendicorum, qui vestes suas panniculis exornant diversi coloris, varia Italica, Anglica, Polonica, & fere Peruviana corradere vocabula, illisque colores addere suo stilo Teutonico possunt. Hisce quia opus habebit, ut ante omnia sese opponat futura Societas, plures maledictis, quam benedictis certaturos cum ipsa, quilibet facile intelligit. In eo quoque consentiant, qui se membra futura prædicant, quod superfluum fuerit, certum sociorum constituere numerum, siquidem æquum est, ut cuilibet philoteutoni, quocunque etiam loco vivat, liceat suum conferre

ferre symbolum, modo præditus sit illis requisitis, quæ tale ut possideat membrum, necesse erit, qualia sunt, ut in literatura Germanica probe instructus, nec nimis tenax propositi, aut præjudicii obrutus sit, præterea judicio polleat, neque nodum, quod dicitur, in scirpo querat.

§. IX. Quid vero agendum tali foret collegio, quomodo & quo fine agendum, ex jam dictis aliquo modo constare puto; singula tamen paulo clarioribus & amplioribus verbis explicare juvabit. Nemo forte ignorabit aut negabit, latissimum patere illis campum, operam qui conferre suam in eliminanda lingua patriæ decreturi sint, quare hoc loco tantummodo generaliora eorundem, & maxime quæ videntur amicis, mox fociis, necessaria, brevitatis studio adducemus. Haberet, quod per totam vitam ageret, quicumque suum exercere ingenium in inquirendis linguæ nostræ etymis, vel primas ipsius origines, historiam, fata, & diversas ætates vellet exponere. Bene faceret, qui, quod Clarissimus *Fellerus* hactenus agere incepit, scripta eruditorum hac de re inedita, palam facere studeret: Variis iisque maxime discrepantibus dialectis nostram scætere linguam nemo ignorat; operæ igitur pretium foret, ut dictarum quavis dialectorum a viris quibusdam, eruditis illustretur, qui ostenderet, quæ causa & quæ natura ejusdem sit, qua in re maxime a ceteris differat, & qua cum una alterave conveniat. Laudabile admodum ita pridem pervenisse scriptum ad oculos meos hujus generis memini, hoc titulo: *M. ÆPINI & RAUPACHII Exercit. Acad. de ling. Sæx. Inferioris Neglectu & Contemptu injusto, Rostoch. 1714.* Quamvis enim autores illud nunquam persuaserint, ut dialecto illa, quam per totum Imperium Germanicum in scriptis publicis adhiberi novimus, & quam illi vocant *Misnicam*, ex inferiori Saxoniam relegata, tota illa Germaniæ plaga, quæ versus septentrionem vergit, denuo *Atticismum* illum, ut loquuntur (*die Plat-Teutsche Sprüche*) introducat: cætera tamen, quæ habent, plurima, qualia sunt, quod hæc dialectus inferioris Germaniæ sit antiquissima, neque suis careat venustatibus &c. vera sunt, & admodum notabilia.

§. X. Neminem existimo negaturum, illustrari quamcunque linguam sibi agnatis posse mirifice, & antiquissima, quod alio loco probavimus, nostra monumenta e Septentrione petenda esse, *Conf. Hist.*

Hist. nostram Ling. Germ. Part. 2. Sect. 1. C. 3. Quare non male faceret, id qui sibi crederet agendum, ut quantam linguæ septentrionales, Islandica, Norvægica, Svecica, Danica, Belgica, Anglica, &c. cum nostra convenientiam haberent, quidque ex iis nostra accepit, offenderet. Non sine singulari animi delectatione percepi, superesse OLAI RUDBEKII, Atlanticæ Auctoris, qua immortalæ sibi nomen conciliavit, ut homonymum, ita non disparem filium, qui principia, a B. suo Parente inventa, continuare Upsaliæ studeat, cui ex animo vitam & felicem apprecor successum. Licet enim a B. Parente ipsius in rebus dissentiam plurimis; neque tamen etiam diffiteor, me multa in hoc studio ex scriptis ejus didicisse verissima & utilissima, quare de filio quoque sperare licet, fore, ut paternis insitat vestigiis, & utilem hac in re navet operam. His pensis distributis, alia Societatis membra instituere & dividere possent suum laborem, secundum potiores Grammaticæ & Rhetoricæ Germanicæ partes, Orthographiam puta, Etymologiam, Syntaxin & Prosodiam, Inventionem, Dispositionem & Elocutionem &c. quia circa singulas multum operæ superesse constat. Ante omnia vero duo commendanda forent, primo, ut in his cæterisque pensis pertractandis quilibet studeat dicere, quod non sit dictum prius; deinde media ut quis incedat via; neque in Orthographia v. g. hos sequatur, qui Fanatico quasi acti Spiritu omnem hæctenus receptam & usu comprobata scribendi rationem, pro lubitu mutare & sine ratione reformare ausi sunt. Eadem æquitas etiam in cæteris Grammaticæ partibus observanda, neque recepta semel vocabula temere exagitanda forent, illorum exemplo, qui loco vocum *Katze, Kloster, Fenster &c.* maluere dicere *Maus-Hund, Jungfer-Zwinger, Tage-Leuchte &c.* Meretur hoc loco inseri jocosum quidem, sed non ineptum amici cujusdam mihi honoratissimi hac de re judicium, ita ad me scribentis: *Excludatur ex hac Societate cum Charletaneria etiam Saal-Baderia, & cum Rudbeccismo* (addidit aliam adhuc sectam, quam taceo,) *& cum Becanismo, omnis Lælenismus & alia, qua infelicitus successus jam exempla sunt.* Insuper quoque non nunquam possent Orationes Germanicæ elegantiores talesque, quibus nullum verbum

E

insit

infat peregrinum, utque omnia eo magis methodice peragantur, literas Alphabeti membra inter se distribuere possint, atque quilibet eligere, a qua litera incipientes voces, vel secundum Orthographiam, vel secundum vocabulorum originem, significationes & usum variasque, in quibus ea occurrunt, phrasas, considerare velit. Neque hoc prætereundum, id alicui agendum, ut demonstraret, quid ab osoribus nostræ linguæ, quale exhibuit antecedens Dissertatio inique & maligne hæctenus eidem exprobratum fit, qua de causa illa aliis præferenda, quomodo etiam ab aliis recedat, quid in illa laudandum, & quis ejus præcipue fit genius.

§. XI. Ut vero titulus Dissertationis innuit, id ante cuncta, consentientibus viris omnibus, qui suam conferre operam pollicentur, faciendum foret huic societati, ut remoram illa crescenti indies barbariei in nostra vernacula ponere nitatur. Non male proinde crediderim acturos, qui vel prosa vel ligata oratione stylo satyrico, ita tamen comparato, ut nemo nominetur, notent illa vocabula, quæ nulla urgente necessitate, sine ratione, & ex sola novaturientium, quos vocant, voluptate & pruritu, e linguis peregrinis liberius translata in Teutonicam, quotidie adhibeantur; atque demonstrant, rem hisce barbaris vocibus designatam, vocabulis purissimis & elegantissimis Germanicis multo commodius dici posse. Omnia vocabula peregrina sine discrimine habito, ex eadem extirpare velle, non modo ridiculum foret, sed & supervacaneum. Quis risum teneret, si tribunus diceret: *Meine REGIERUNG hat sich wohl gehalten*, cum id dictum vellet: *Mein REGIMENT hat sich wohl gehalten*. Latronum putares socium, si diceret quidam cenurio: *Es ist einer von meiner GESELLSCHAFFT gebangen worden*: quod si vero dicat: *von meiner COMPAGNIE*, quilibet, qua de re loquatur, intelligit. Inquirendum itaque & demonstrandum foret, quæ voces peregrinæ, jam Teutonice civitate per necessitatis & usus imperium ita donatæ sint, ut ex illa nunc ejici amplius nequeant, & quæ quotidie a fatuis quibusdam hominibus, se alias callere linguas demonstraturis, admodum absurde & ridicule adhibeantur:
cumque

cumque manifestum sit, plurimum hac in re damni vernacula nostræ adferri linguæ, barbariemque illam, quæ hæcenus eam deformavit, longe lateque per omne genus hominum propagari, scriptis ejusmodi publicis, quorum fere quotidie aliqua pars editur, & quæ omnium teruntur manibus, qualia sunt novellæ & similia, si in hiis forte reperiatu ita, ut dictum est, novaturiens cujusdam compilatoris animus, ille imprimis falsè & scite castigandus foret.

§. XII. Obiciat hic mihi forte aliquis, omnem hunc conatum futurum esse irritum, quod non sperandum, quoslibet scriptores Teutonicos hanc consulturos societatem, aut ipsius obtemperaturos monitis: Sed licet hoc largiar; persuasissimus tamen sum, futurum, ut nonnulli saltem liberentur per illam a præjudicio, quo obruti hæcenus fuere, dum peregrinas voces crediderunt esse quasi flosculos & gemmas styli Teutonici, aut se jam magistros esse linguæ patriæ pro explorato habuerunt, licet sermone & scriptis contra ipsius prima principia crebro peccaverint. Laudabili conatu auctor Novellarum doctarum, quæ Lipsiæ evulgantur forma 8. monentibus, ut ipse fatetur, amicis, hæcenus docuit, nihil non etiam in illis rebus, quæ ex re literaria referuntur, & in aliis factæ regionibus narrantur, puris verbis Teutonicis posse exprimi. Quæ quidem res, si ab hac societate clarius demonstretur, nullum est dubium, plures excitatum iri, qui in sermone & scriptis suis vitium hoc suæ natione indignum evitare studeant. Neque hoc dissimulandum aut prætereundum existimo, quod a magno Mæcenate, cui prosperam & longævam vitam, una cum omni salute omnigena Numen concedat, quemque ipsum hujus nostri conatus suscipere benevole præsidium ex animo apprecamur, spes facta sit, fore, ut manus potentior hoc adiuturam sit institutum.

§. XIII. Ad modum quod spectat, quo erudito orbi ejusmodi meditationes proponi possent, rem altius examinantes futuri quidam collegii socii, optimum & maxime necessarium esse credunt me interprete, si completum a collaturis ita lucubrationes, conscribi possit

possit Dictionarium Germanicum, similisque vernaculæ linguæ Grammatica, de quorum utroque unum alterumque monendum esset. Sed cur persuasum sibi habeant, neutrum horum librorum confectum iri, sequentibus potissimum inducuntur rationibus. Primo, quamvis in eo tota erit, ut ante omnia in generalioribus conveniat principiis; attamen nullam sibi dictaturam attribuet futura, si Deo placet, societas, sed quilibet suas meditationes tanquam consilia, cum philoteutonibus communicabit, qua ratione plures forte excitabuntur ad fugiendas ante narratas nostræ linguæ pestes, quam si lub anathematis Grammaticalis fulmine cives nostrî admonerentur, ut pedibus eant in sententiam jam sæpius dictæ societatis. Deinde seculum videtur postulare nostrum, ut non magno quodam volumine, quod paucissimi perlecturi sint, congerantur meditationes, sed successive, nullo statò tempore prodeant, quemadmodum v. g. Miscellanea Lipsiensia, familiaque eruditorum diaria non sine fructu & delectatione lectorum hæcenus apparuerunt. Mavult enim nostra ætas brevioribus ejusmodi scriptis delectari, quam prolixioribus instrui: & præterea hic modus sua sensâ sibi invicem declarandi, videtur ideo commendandus, quod eo aliis asserendi, aliis modeste & pacifice opponendi, donec veritas eruatur, præbetur occasio. De cetero cum alia specimina forte commodius in lingua Latina, alia in Germanica proponi videantur posse, necesse crediderim, ut liberum cuilibet fuerit, utra harum malit scribere: Quod si vero duobus diversis locis v. g. Lipsiæ & Berolini eodem tempore edi queant philoteutonum observationes, altero horum locorum scripta Germana altero Latina promulgari possent. Ad nomina memor proprio, an vero fictio prodirebrentur denique quod spectat, perinde sine dubio foret, an aliquisve sit nomine, quemadmodum quoque superfluum videtur, certum velle constituere membrorum numerum.

§. XIV. His ita constitutis, antequam de editoribus futuram Observationum dispiciamus, id agendum est, ut noverint futuri nostrî socii, nobis adhuc ignoti, ad quos ipsis scribendum sit, si forte aliquid circa hoc consilium monere, aut etiam suum adiutorium nobis polliceri velint, quibus lubentissime quidem meam offerrem operam; sed

sed tria præcipue sunt, quibus impediatur. Facile intelligo, hoc onus robustiores meis pollicere humeros; Deinde ceteros ut meos labores taceam, laxum Silyphi, quod in Gymnasio Electorali quotidie volvere teneor, sæpe ita fatigat corpus, & obtundit animum, ut hisce similibusque delectamentis invigilare hic nequeat, licet temporis quandoque superfit horula: denique loci, quo vivo, vix ferre videtur conditio dictum negotium, quippe ad quem non nisi duplicibus adferuntur impensis literæ, & ubi neque bibliopola est, neque typographus: Quantum vero per dicta impedimenta facere licebit, nihilominus præstiturum ex animo spondeo. Interim amicorum satisfactorius desiderio, adii duum viros Clarissimos nobilioribus viventibus locis, & magna cum eruditibus variis habentes commercia, illosque exoravi, ut fidem dederint, se acceptis amicorum, quibus noster conatus non displicebit, literis, iisdem responsuros certioresque eos de progressu nostri propositi facturos. Alter eorum in hac vivit vicinia, estque Vir Præclarissimus & Amplissimus Dn. M. Car. Frid. PEZOLDUS, Inclytæ Facult. Philos. Lips. Assessor Dignissimus, & Scholæ ad St. Thomam Collega Illius longe Meritissimus, qui hætenus Collatione Miscellaneorum Lips. satis innotuit. Alter Berolini floret, nempe Vir æque Præclar. & Amplissimus Dn. Joh. Leonhard FRISCH, Inclytæ Regiæ Societatis Membrum Dignissimum & Gymnas. Conrector longe Meritissimus; qui suum in patriam linguam amorem eruditibus scriptis jam satis superque declaravit, & vel proprio exemplo docuit, in scholis faciendum esse initium culturæ nostræ linguæ, quippe quæ a multis illarum hætenus plane exulavit, nonnullis doctoribus laudi sibi ducentibus, si discipuli in sola Latina & Græca, quibus omnem putant absolvi eruditionem, quales quales profectus fecerint. Cum hisce igitur laudatis viris conferre possunt, quibuscunque volupe est, nostrum adjuvare institutum.

§. XV. Sed hæc fuerunt, quæ amicorum jussu hac de re monenda duxi, eorundem nomine dans fidem, auditum iri quemlibet, qui quid linam in hisce consiliis mereri, aut commodius posse videatur

atur institui, modeste monstraverit, & vehementer apprecans, ut
 quam bono fine & animo prolata hæc sunt, tam felix nostrum co-
 natum successus sequatur. Unicum, quod superesse dicendum in-
 telligo, hoc est, ne amici & futura societatis membra statim abjiciant
 animum, si forte multa proposito nostro se offerant obstacula & si-
 milia illud interpretantes reperiantur malevoli; sique exordia ipsi-
 us exigua & diutius forte, quam speramus, esse differenda videant, me-
 mores, omnium esse rerum grave principium; laudabile opus aggredi-
 entibus adversarios & obrectatores nunquam defuisse, & recte faci-
 entibus meliora semper esse expectanda. Tu interea L. B.


*Vive, vale, & si quid novisti rectius illis,
 Candidus imperti; si non, his utere mecum.*

FINIS.



QX
 TD
 324

X 1860259



Farbkarte #13

B.I.G.

Br. 532, 2

B. m. II, 6

II d
324

TRIAS
DISSERTATIONUM,

CONTINENS

I. RESPONSIONEM MODESTAM, AD IMPUDENTEM LIBELLUM J. C. WACKII, THEOL. PROFESSORIS RATISBONENSIS.

II. BREVEM LINGUÆ GERMANICÆ APOLOGIAM, PETRI BURMANNI PROF. LUGDUN. BAT. DURO DE EA JUDICIO OPPOSITAM.

III. CONSILIUM DE CONSTITUENDA SOCIETATE, QUÆ BARBARIEM IN LINGUA VERNACULA NOSTRA IN DIES CRESCENTEM COERCERE STUDEAT,

AUCTORE

JOHANNE AUGUSTINO EGENOLF.

LIPSIÆ,

Impensis JOH. FRID. BRAUNII,

STANNO BAUCHIANO. 1717.

